



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 44. Pii V. Bullæ exemplar Bajo traditum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

lecto Filio Michaeli Bajo, Cancellario Sæcul. XVI.  
A.C. 1580.  
Universitatis Lovaniensis, & in eadem  
Sacrae Theologiae Professori.

Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Mittimus exemplum publicum Literarum sanctae memoriae Pii V. quas tum per literas, tum per dilectum filium Franciscum Toletum postulasti: quicquid autem acciderit, in quo possimus tuae charitati gratificari, nunquam commitemus, ut ullum a nobis amantissimi parentis munus desiderari possit, hocque certum te habere volumus: te quoque vicissim tuae pietati, optimique filii officio, summæque bonorum omnium expectationi omnibus in rebus cumulatissime satisfacturum esse persuasum habemus: quo nomine omnem tibi a Domino Deo nostro tum in hac, tum in futura vita felicitatem precamur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima quinta Junii, anno millesimo quingentesimo octuagesimo, Pontificatus nostri anno nono.

## §. XLIV.

*Pii V. Bullæ exemplar Bajo traditum.*

Hoc diploma unacum Bullæ exemplari Toleto deferendum commitebatur, ac sub idem tempus Pontifex Lovaniensis Universitatis Doctoribus

*Bajar.  
pag. 190.*

O o 4                      duo



Sæcul. XVI.  
A.C. 1580.

duo aureorum millia numerari iussit, qui inter eos diviti fuere, ut damna a foederatorum copiis, in Belgio, ac præcipue in hujus Urbis territorio illata compensare possent. Ceterum eodem anno die quarta Mensis Augusti, cum Facultas in Templo Divi Petri post vespers convocata esset retulit Doctor Goudanus, quod binas literas ex Urbe acceperit, quarum primæ a R. P. Francisco Toletio, alteræ vero a Reverendissimo, ac Illustrissimo Domino Cardinale Sabellio ad ipsum scriptæ essent, quibus significatum, quod Bulla Pii V. transmitteretur, addito mandato, ut eadem Michaeli Bajo Doctore tradere- tur: itaque perlectis binis hisce literis Goudanus Bullam Bajo tradidit, qui pariter Pontificis epistolam ad se per- scriptam mox perlegit. Peractis hisce omnibus, Bajus Bullam restituit, ejus- que exemplar cum authographo per Fa- cultatis Secretarium conferri, ac sibi tradi petiit, quod ei quoque datum est, ea tamen lege, ut authographum ad Facultatis scrinia reponeretur. Porro observandum venit, quod hæc, ut vo- cant, originales literæ absque punctis, virgulis, & sine articulorum præscri- ptorum distinctione fuerint exarratæ, quamvis Bulla die quarta Februarii anno præcedente Vaticanis literis una- cum



cum punctis, & propositionibus numero septuaginta sex distinctis excusa fuerit, atque ipsemet Toletus quoddam ejusmodi exemplar typis impressum Lovanium detulerit. (\*)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1580.

## §. XLV.

(\*) Hanc animadversionem a Continuatore factam haud mireris, benevole lector, cum enim ille Bajo Jansenistarum Præcursori appime faveat, mirum non est, quod etiam his effugiis utatur: lubeat tamen doctissimum Cardinalem Gotti in suo tractatu de Victoria adversus hæreses cap. 117. §. 3. n. 6. hanc in rem ita differentem audire: non defuere, inquit ille, qui etiam in Academia super propositionum Baji damnationis intelligentia novas lites excitarent, dicentes, aliquas ex præfatis propositionibus etiam in sensu ab earum assertoribus intento sustineri posse, eo, quia Bulla Pii V. sic loquitur: *quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent* (nulla interjecta virgula) *in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, hæreticas &c.* ideoque Bullam adulteratam esse ab eis, qui inter hæc verba *sustineri possent*, & ista sequentia *in rigore, & proprio verborum sensu* virgulam interposuerunt: nullam eo loco interjectam esse virgulam in originali Bulla Jacobus Jansenius Lovaniensis Doctor autographum manibus tenens, ac legens testabatur. Idem